

AD
ORATIONEM
SUB AUSPICIUM
PROFESSIONIS
LINGVÆ SANCTÆ
CLEMENTISSIME SIBI
DEMANDATÆ

FUTURO MARTIS DIE III. NON. APRIL. IN MAJ. PRINCIPUM
COLLEGIO, HORA IX. HABENDAM

QVA DECET OBSERVANTIA
ET HUMANITATE INVITAT
SIMUL QVE

DE RECENTE DOCTISSIMI CUJUSDAM
VIRI CIRCA PUNCTORUM VOCALIUM
SACRI CODICIS V. TEST. ORIGINEM ET
AUCTORITATEM CONIECTURA
QVID SIBI VIDEATUR

CUM AUCTORE HUMANISSIMO
ALIISQVE ΦΙΛΕΒΡΑΙΟΙΣ
COMMUNICAT.

M. JOHANNES CHRISTIANUS
HEBENSTREIT
S. THEOL. BACC.

LIPSIÆ
LITERIS BREITKOPFIANIS.

a. XLVIII. 68.

Coll. diss. A
8, 68





P

Rimus, qui litem circa vexatissimam de punctorum vocalium antiquitate & auctoritate quæstionem, quæ philologos pariter ac theologos postea exercuit, moveret, Elias fuit Levita, inter tribules suos, Judæos, sectatorem nactus neminem, in Christianis tanto plures, quam illos ab auctoris ac conditoris sententia admodum alienos. Is enim novitatem saltim adstruebat punctorum, ad Tiberienses, seculi quinti aut sexti post N. C. Rabbinos, eorum natales referens; auctoritatem vero illorum ita intactam & integrum esse volebat, ut quicquam mutandi libertatem nemini concederet, uti ex Buxtorfiorum, patris & filii, de hac materia scriptis, illius in Tiberiade, hujus de punctis, in præf. & alibi passim, legere est. Inter Christianos autem quidam in punctorum & auctoritatem & antiquitatem iniquiores, utramque destructum iverunt, & pro arbitrio immutandi, ubicunque sensus aut grammatica posceret, licentiam introduxerunt, ausu orthodoxis omnibus improbato. Qua de re in vulgus nota pluribus hac quidem vice disserere nihil attinet. His multo moderatior Summe Reverendus Dn. D. J. H. B. Vir hebræarum litterarum apprime peritus, deque tum Ecclesiasticis tum Academicis muneribus meritissimus, conjecturam plane novam, de qua nondum cuiquam in mentem venit, animo conceptam dudum doctis exposuisset, ni laudatissimum ejus studium casu fuisset occupatum. Concinnavit is aliquot abhinc annos, cum post decursum in Academia Jenensi stadium, patriam repeteret, Observationem, quam *de origine & auctoritate vocalium sacri codicis Vet. Test. conjecturam, inscrips-*

scriperat, Miscellaneis Lipsiensibus, quæ tum prodibant, infrendam. Quæ cum ob opus nescio quo fato interruptum, inter schedulas Dni Collectoris adhuc latuerit, non solum haud invito eruditissimo auctore futurum, sed & gratum me ei facturum speravi, si, quam prelo ipse destinaverat, hac occasione in lucem protraherem doctissimam ejus conjecturam. Cæterum virum præstantissimum, si forte in hanc qualemcumque scriptionem incidat, ut istum conatum æqui consulat, quam humanissime rogo, utque rebus suis in ecclesiæ & sacrarum literarum commodum ex voto fungatur, pie opto. Proferam ego bona viri optimi venia, quid scrupulorum inter legendum me vellicaverit, ejus verbis, quæ quidem huc faciunt, e MSto, qua oportet, fide, sub paginarum fine adjectis.

Vidisse se ait Cl. Auctor, dogma, de punctorum vocalium paricūm literis auctoritate canonica, quam iis melioris notæ Philologi adhuc tribuerint, cum fontium integritate stare non posse, quia eorum plurima perierint, adeoque sacer canon mutilatus foret dicendus, quod affirmare injustum fatetur esse & incongruum; Θεοπνευσία autem eorum si prorsus negetur, & humana saltim origo illis adscribatur, cum certitudine scripturæ & veritate divina pugnare. Hinc inter duos scopulos tuto transnavigari posse statuit, si punctorum quidem origo ad Deum referatur, ita tamē, ut illa prorsus incorrupta servari, necesse non fuerit, canoniam quippe auctoritatem non habentia; veluti multi libri biblii olim Θεοπνευσοι fuerint, ad canonem autem non pertinuerint; quo argumento nostrates adversus pontificios de scripturæ perfectione disputantes, utantur. Tandem ad quædam dubia respondet. De singulis, quantum ad rem facit, nonnulla afferam, æquo Lectori judicium relicturus.

In hoc cardo disputationis vertitur, an, quia quædam puncta perierunt, punctis integratas, & quod sequitur, auctoritas canonica neganda sit? a) Argumentum hoc esset: Cujus pars aliqua periit, illud ad cano-

a) Verba Domini Auctoris conjecturæ sunt: Prior (sententia, quæ punctis vocalibus canoniam auctoritatem tribuit,) cum tantopere jaftata scripturæ integritate conciliari nequit. Amen, inquit salvator Matth. V. 18, donec transcat cœlum & terra; iota unum aut unus apex non præteribit a le-

canonem non pertinet, nec auctoritate canonica habet: Atque punctorum vocalium aliqua pars periiit; E. puncta vocalia ad canonem non pertinent, nec auctoritatem canonica habent. Probat Cl. Dn. Auctor Majorem, quia ex Christi promisso Matth. V. 18: Luc. XVI. 17., ne quidem apex canonicae scripturae in periculum interitus adduci possit; Minorem autem inter alia, & in primis quidem, ex deperditis vocabulorum obscenorum propriis punctis, & aliis, quae illis plane non convenient, substratis. b) Hic I. videtur neganda Major, tum indirecte per instantiam, tum directe per rationem. Posse enim, quod initio ad instantiam attinet, adversarii eodem argumento ad negandam ipsarum literarum integritatem abuti. Non jam de literis majusculis, minusculis, suspensis, fractis, inversis dicam, quae cum ex calamo scriptorum Σεπτέμβριων non fluxerint, testantur, literas mutationem, quantumcunque, (sed quae tamen ex mente Ejus ab integritate scripturae alienissima esse debebat,) expertas; non de omissione קרייה f. matrum lectionis, dum v.g. Prov. 21, 4. alii legunt נר alii נס' alii נססה Jes. XLIX. 19. alii חרים' הרסתך Jes. LIX. 19. c. LX. 18. alii חומות' חומות' cujusmodi plurima in margine addit van der Hooght in suis Bibliis sub signo 'א' i.e. aliarum editionum; non de illa diversitate, cum vel alia vocabula posita, vel integra omissa deprehenduntur, v. g. Jereim. XIV. 14. לכם al: שבר עמי שבר בת עמי c. VI. 14. c. LII. 29. מירושלם ubi alii הנלה præmittunt. Quorsum referendi illi

A 3

due

a lege, donec omnia fiant. Huic promisso veracissimi, mentiri nescii, innixi merito statuimus, scripturam, quam scriptorum θεοπνέυσων quilibet fui ævi hominibus tradidit, vel Efras saltem ex divino instinctu restituit, quæque norma vitæ & fidei esse debuit, integrum & incorruptum ad nos pervenisse. Si ergo puncta quoque vocalia, olim ex immediata Spiritus sancti inspiratione a sanctis viris exarata, animam quasi scripturæ & primariam ejus partem constituunt, si pariter ac literæ, ut norma consideranda sunt; tum de illis quoque ne apicem quidem periisse, sed omnia adhuc in scriptura extare, certum esse debet, alias de integritate Canonis actum, illumque corruptum esse, Pontificiis concedendum est.

b) Atqui in permultis locis omnium codicum puncta genuina a scriptoribus sacris adposita, hodie desiderari, atque in illorum locum spuria recentioribus Judæis substituta esse, demonstrari potest. Provoco ad verba Masorethis obscoena visa, quæ proinde, ne honestis auribus offendiculo essent, cum honestioribus permutarunt.

duo notissimi versus Jos. 21. post v. 35. alibi omissi alibi additi. Quicquid autem hic responderi possit, scio enim, quid a variis varie soleat, tamen cum omnimoda integritate, quam Cl. Auctor exigit, quomodo hæc codicum diversitas conveniat, non video. Sed spectant hoc præcipue Masorethica loca, ubi occurrit Keri velo Chetibh, ubi ad oculos patet, periisse literas talium vocum, quæ ad sensum requiri videntur, uti ex evolutione deinceps illorum locorum in Masora recensitorum patet, v.g. 2 Sam. 8, 3. c. 18, 20. 2 Reg. 19, 3L & 37. Jer. 31, 38. c. 50, 29. Sat firmum mihi videtur hoc argumentum pro aliquali mutatione, quam literæ expertæ sunt. Nam *αι ῥι* in suo exemplari illas literas legerunt, quia in versione sua fideliter expresserunt. Ex Keri seu punctis vertere non potuerunt, usi enim fuere codice non punctato, uti ex innumeris fere locis demonstrari potest. Ergone illi quibusdam literis ditionem, quam nostri sunt, habuere codicem; & nostri hodie mutili forent dicendi? Præterea Jes. 36, 12. in **חראייהם** litera **נ** inserta est, ob legendum marginale **ציאתם**, simile factum 2 Reg. 10, 27. in voce **מחראות** ubi ibidem litera **נ** postlimino addita ob legendum **מוצאות**. Pertinent huc illa quinque loca, per **עטור סופרים** ablationem scribarunt, correcta, ubi **ו** a vulgo additum esse ajunt, in probatis exemplaribus non repertrum. Utra ergo exemplaria genuina fuerunt, an, quæ **ו** legerunt, an, ex quibus illi correxerunt, quæque vocant *probata*? Imprimis, quid de Num. XII, 14. ubi hodie legimus **וְאַחֲרֵי** pro quo Masorethæ **אַחֲרֵי** restituerunt, juxta Masoram ad Pf. 36, 7. statuendum erit? Item huc spectant 62. loca metathesin passa, de quibus Cappellus in Critica sacra L. III. c. 7 sq. Quod si aliqualis vel abundantia vel defecitus vel immutatio integrati obesset, ne ipsas quidem textus literas integras haberemus hodie, id quod & absurdissimum esset, & affirmare impium, & ab ipso Cl. Auctore nequaquam conceditur. Quomodo autem supra commémorata stare possint cum tantopere jactata literarum integritate, videbit fortasse, ita tamen, ut, quod hic responderi oportere judicabit, sibi responsum habeat in nostro hoc de vocalibus negotio. Possem & de diversitate lectiōnum nostri codicis Novi fœderis addere, quarum quantum cumulum congesserit Millius, notum est. Et quanquam, eruditissi-

tissimus Bentlejus, Anglus, spem aliquando fecit editionis, in qua
 per collationem antiquissimorum M^{steriorum} magnopere se immi-
 nuturum catervam illam diversitatum credidit, prævidit tamen,
 se ultra centum ad minimum loca relinquere iri coactum, quæ jam
 Hieronymi tempore & ante irreperserint; ut A. 1717. M. Jul. in publi-
 cis rerum eruditarum novellis Lipsiensibus relatum legimus. Er-
 gone Novi fœderis integritatem & canonicam auctoritatem ne-
 gaverimus? Responderi autem secundo posset & directe: Esse
 quosdam, qui negent, Christum, quod ad probandam Majorem
 a Cl. Auctore adducitur, Matth. 5. 18. Luc. 16. 17. loqui de literis
 & punctis grammatico, sed moraliter acceptis, i. e. non de
 quantitate eorum, sed de valore ac sensu, seu, non afferere ser-
 vatorem, Dei providentiam adeo observantem fore sepiendæ le-
 gis & reliquarum scripturarum Canonicarum, ut ne minimum
 punctulum grammatico seu quantitate spectatum pereat; sic
 enim eventum, ajunt, non respondere asserto, uti ex antece-
 dentibus videre est; nec etiam opus esse videri, cum generi hu-
 mano' nihil utilitatis ex ejusmodi accuratissima asservatione prove-
 niat: Sed potius mentem servatoris esse, ne minimum quidem
 momentum de sensu & valore legis, quam ipse non sublaturus
 sed impleturus venerit, peritum esse, vid. a Polo in Synopsi
 ad h. l. citatos. Quod quanquam ad hanc præsentem litem spon-
 dam haud parum facere videtur; sic enim infirma esset proba-
 tio Majoris, quam ab auctoritate Christi Cl. Auctor desumit: tamen
 meum facere nolim, cum sint celeberrimi Theologi & philolo-
 gi, qui Christi verba de punctis grammaticis accipiunt & ex eis pro
 Σεοπνευσίᾳ punctorum vocalium & accentuum pugnant, a quibus
 discedere merito religioni est ducendum. Ac ne sic quidem
 causæ nostræ in præsenti negotio de integritate punctorum cano-
 nica, post deperditas (malim dicere commutatas) vocabulorum
 obscenorum literas, quicquam decedet. Fac enim tandem,
 Christum de punctis grammaticis loqui, quod certe fecit; sic con-
 cessa Majore in arguento Cl. Autoris negarem II. Minorem;
 quod nempe verba quædam, præcipue illa obscena, puncta ami-
 serint sua. Et quidem hanc ob causam: Sunt aliqua vocabula ita
 comparata, ut non nisi unicam punctandi rationem recipiant, &
 eam.

eam necessario exigant, v.g. **בראשית אלוהים השמים** &c. hæc aliter legi non possunt, quam ut in primo statim versu nostri codicis inveniuntur punctata, quia nulla vocabula dantur, quæ his quoad literas similia, punctis saltim discrepant. Quod si ubique in toto codice esset, ambabus largiri possemus, punctis vocalibus nihil unquam opus fuisse. Vocabula autem illa obsœna omnino huc sunt referenda, siquidem, si omnia percurremus, apparebit, ea unicam saltim punctuationem accipere, nec aliam ferre, (quod tamen salva oculatiorum perspicacia dixerim.) Unde, quanquam primorum punctorum figuræ sub vocum obsœnarum literis perierint, tamen tum sine sensus periculo, tum ita factum esse apparet, ut nobis hodie illa puncta, quibus olim ante Masoretarum correctionem affecta fuerunt, citra controvèrsiam adhuc nota sint; v. g. **עפליים** quod Deut. 28, 27. extat, punctatum invenis I Sam. 5, 9. & 6, 7. per **י** sub gutturali **ו** cuius defectus præcipue movet Cl. Autorem. Sic **חריונים** quod 2 Reg. 6, 25. legitur, quoad prius vocabulum punctavit Jobus c. 30, 6. quoad alterum autor Cantici 1, 5. Porro **מחורות** quod 2 Reg. 10, 26. occurrit, animandum est ex forma singularium **וְ**; sic **חראים** Jes. 36, 12. juxta rationem monosyllaborum in **וְ** cum affixo. Est enim illius absolutum **מחור** & hujus, ut apparet ex citato loco Jobi 30, 6. **שיניהם** quod 2 Reg. 18, 27. habetur, itidem juxta regulam vel monosyllaborum **וְ**, vel formarum **וְ** cum affixo, & sic in reliquis. Non perierunt ergo, sed adhuc nobis sunt notissima verborum obsœnorum puncta, (quanquam hoc difficile probatu videtur doctissimo Adversario c); & nec absolute, nec respective s. quoad nostram cognitionem,

uti

c) Ubi vero hodie sunt illarum vocales genuinæ? Inquis, non plane interuisse vocales, sed in aliquo adhuc mundi angulo vel in ipsis Textus literis late-re, unde observatis analogia Grammatica & loci contextu facilii negotio erui possint. Belle haec dicta sunt. Unde vero Tu prius probas? At sic ita! Quid inde? Obtines quidem, puncta non absolute periisse, nec absolute corruptum esse sacrum codicem, manet tamen, corruptam esse scripturam, punctaque periisse respective, scilicet respectu nostræ cognitionis, & sic nos nihilominus corruptam habebimus normam. Non absoluta sed respectiva integritas vel sinceritas est proprietas normæ; nec illam, sed harc Christum-promisisse credo.

uti loquitur, perierunt. Excipit Cl. Autor *d)* modum puncta
e litteris eruendi non satis esse tutum, cum magna hic se offerat
discrepantia, aliis hæc, aliis alia, utrisque satis commoda, inven-
nientibus; id quod exemplo dissensus eruditissimorum in Jenensi
Academia virorum circa quædam loca ostendit. Respondeo, il-
lud adhæc verba obscoena, quæ præcipue urgentur, nihil facere;
dubito enim, an quisquam de punctis eorum propriis supra
ostensis, & tum e locis aliis biblicis, tum regulis restitutis, sit literis
moturus. Quod autem ad locum a Cl. Autore adductum attinet,
credere, pace tantorum lumen, ab omnibus ipsi allegatis
viris doctissimis peccatum fuisse, quod alia effingere puncta,
atque in bibliis leguntur, ausi fuerint. Nam τὸ Keri יְשִׁבָּי sanissimum esse existimare; adeoque, cum manu medica non
egeat, a nemine eorum videbatur immutandum. Non enim, si
quis nobis, ob curtam harum literarum peritiam, locus non satis
est perspicuus, ideo statim de eo mutando cogitandum est. At
sit ita, puncta locorum sæpe citatorum periisse, sit, τὸ Keri &
Ketif in genere videri posse integritatem canonis tollere, sive
quoad puncta, sive quoad literas; sit, puncta vocalia multis aliis
laborare difficultatibus grammaticis, ex Masoretharum ingenio
prognata: Christi tamen verbis hæc omnia non repugnant. Lo-
quitur enim Servator de canone, qualis illo tempore erat; &

ex

d) Sed adverte quæso animum. Jenæ in Lectionibus Anti-Masorethicis
S. R. Danzii, ipse Danzius, in hoc studii genere exercitatissimus sem-
per puncta ex literis eruebat, & Grammaticis principiis & contextu congrua. Alter vero alia adferebat, nec contextui, nec Grammaticæ
adversa. Tertius iterum alia satis commoda. Danzius certe interdum
putabat, se solum rem acu tetigisse, interim alii non omnia eum ex-
hausisse, haud raro docebant. Exempli loco sit Jerem. XLVIII. 18.
יְשִׁבָּי quod Danzius explicabat ad formam perfectorum cum
Hillero. Alius legi volebat יְשִׁבָּי omissa præpos. הֵן, quæ ellipsis in
verbis motum ad locum significantibus, satis frequens est. Tertius יְשִׁבָּי
in plur. absolute apocopato, itidem omissa præposit. Quarto hæc
puncta quidem placebant, sed putabat, esse singul. cum jod parag.
omissa præpos. Si ergo & tu aliquando ex literis puncta tibi commo-
dissima visa erueris, unde Tibi constabit, hæc ipsa sola, non alia, esse
puncta, olim a Spiritu S. dictata? Fieri itaque potest, ut quidem pun-
cta proferas, nec Grammaticæ nec contextui contraria, genuina tamen
sanctorum virorum puncta Tibi cæterisque maneant ignota.

B

ex illo canone punctum & κεραίαν & jod unum non peritutum esse affirmat. Atqui non est cur dubitemus, has correctiones marginales, Keri & Ketif &c. iam tum extitisse, a Synagoga nempe magna post reditum e Babele concinnatas; quod jam a me probari nihil attinet, ab aliis enim abunde esse factum norunt, quibus hebrææ literæ cordi sunt. Provoco interim ad ipsam Massoram, quæ XVIII. sic dictas correctiones scribarum ad Num. 12, 12. appellat **תקון ערא** correctionem ab Esra factam ap. Leusd. Philol. Hebr. p. 233. qui etiam p. 238. observat, multarum notarum marginalium mentionem fieri in Talmude, v.g. in Talmude hierosolym. tr. Sanhedrin, & in babylonico tr. Joima allegari **אכבר** Hag. 1, 8. in fine fine ה scriptum, legendum tamen per ה, & in codice Megilla c. 3. **עפליים** numerari inter voces honestatis causa mutatas. Cum jam non constet, inter Synagogam magnam, cuius caput Esra erat, & inter concilium Tiberienfium, quinto deinceps post Christum natum seculo celebratum, factam esse aliquam codicis sacri collationem, præter illam forte, quæ Judæ Maccabæi cura Mizræ i Macc. 3, 46 sq. facta esse videtur, Magnifico Carpzovio Critica Sacra P. I. c. VIII. p. 343. sequitur, quod tum verborum obscenorum tum aliorum lectio, qualis hodie in nostris codicibus extat, sive Esrae sive Judæ Maccabæi curæ tribuatur, jam Christi tempore in populo Judaico recepta fuerit. Ergo Servator has correctiones ab Esra & collegis, Prophetæ, & ex parte prophetis, adeoque Θεόπνευσοις, nec facile quicquam Deo invito ausis, non culpanda mente prolatas, approbavit, & autoritate canonica ornavit, dum ait: de hac legge, qualem jam in vestris Synagogis habetis, observationibus & notis masoreticis instructa, ne punctum peribit. Non enim dicit, punctum non periisse adhuc, sed imposterum non παρελέυσεθαι. Quam scribarum fedulitatem Christus nunquam taxasse, aut eos fraudis arguisse legitur, cum in alia eorum vitia subinde acerrime invehementur; potius coimprobasse videtur, cum eos in cathedra Mosis sedentes, h. e. sacras literas juxta illas correctiones Masorethicas, quas jam jam habebant & maximi faciebant, explicantes, audiendos esse præciperet.

Cæterum Esram fuisse Prophetam & virum Θεόπνευσον, tum

ex

ex eo patet, quod librum, sub ipsius nomine inter canonicos hodie extantem scripsit, tum, quod Paralipomena aut ipse concinnavit, ut multi Rabbinorum statuunt, (Radack ad דברי הימים præf. in medio ערך נכונינו זל, i. e. *ajune* Rabbini nostri b. m. hunc librum scripsisse Esram, & ipse Raschius affirmat Comment. ad l. c. initio ערך כתב כפר היקם הוא על יד קני ובלחמי וכנו' *Esra* scripsit librum genealogiaæ hujus, usus opera Haggai, Sachariae & Maleachi, Prophetarum &c.) aut ante captivitatem babyloniam scripta, post redditum Judæorum continuavit atque in canonem retulit, uti Radako, loco jam citato videtur, ubi ait דברי הימים למלכי יהודה חכר אל כתבי קקדס על יד קני וכנו' (Esra) librum chronicorum regum Judeæ adjunxit scripturæ sacræ &c. & paulo post ערך האלכות עד זרוככל' וזכה עוזיאל 'כל' i. e. Atque sic recensuit hoc libro Esras regnum (Judeæ) usque ad Serubabelem, & adjunxit Esra hunc librum sacris libris, opera usus Haggai, Sachariae, Maleachi, prophetarum posteriorum &c. Plura huc facientia exhibet Buxt. Tiberiade c. X. XI. Sic omnis difficultas facilliima operatur tolli, & conscientia longe meliori modo quam alio quocunque, tranquillari posse videtur, si puncta vocabulorum honestatis ergo variata non quidem a primis auctoribus originem trahere, & Servatore tamen approbata, & vetera quidem consilio non vituperando sublata, alia tamen æque divina in locum successisse, dicimus. Unde non est, cur aut puncta ista, quæ hodie habemus, videantur nobis spuria, utpote rata a Christo, scripturarum auctore ac magistro, habita, aut ideo concludendum esse existimemus, scripturam, canonem & normam fidei, hodie non amplius integrum esse, sed corruptam. e) Non, inquam, est, ut ad alterutrum delabamur, partim, (ut jam dicta breviter repeatam) quia nondum evictum est, puncta perisse, uti ex supra dictis patet; partim quia, si puncta primorum auctorum in quibusdam paucissimis vocibus periire, tamen correctio Masoretharum, virorum non vulgarium, sed ex parte prophetarum, a

B. 2

Christo

e) Vere ergo puncta quedam a Scriptoribus Ἰερονεύσοις olim scripta, anima Scripturæ & primaria ejus pars, norma fidei ac vitæ perierunt, nec hactenus restitui potuerunt, sed potius in eorum locum spuria sunt substituta.

Christo ipso approbata potius quam improbata, ita ea restituit, ut merito ab iis non recedendum sit; partim, quia, si aliqualis mutatio corruptum faceret canonem, nec literas veteris testamenti, nec textum novi foederis habereimus amplius integrum, & per consequens plane nullum canonem; quod irreligiosum esset vel cogitare; partim, quia qualiscunque mutatio, si qua vel maxime esset (loquor ex hypothesi,) non magis tolleret puritatem canonis, quam illapsus lapillus puritatem fontis, juxta Bellarmini judicium, ap. Glassium Philol. S. L. I. tr. I. theor. 3. p. m. 14.

Potuit enim injuria temporis, vel scribarum olim, hodie typographorum & correctorum si non incuria, certe ad omnia dispicienda & elimanda imbecillitate, factum esse & fieri, ut leviores quidam errores circa tum literas tum puncta vocalia, si non in omnes, quod impossibile non esse videtur, in præstantissimos tamen codices irreperent, qui autem, cum sensum non pervertant, authentiæ & integritati hebraicorum fontium nihil derogant, judge Leusdenio in Philol. Hebr. diss. 33. p. 338. ibidemque ad auctoritatem provocante Buxtorfii de antiquit. punct. p. 281. puritatem textus hebræi strenue quidem defendantis, at non propterea textum hebræum adhuc per omnia in minimis punctulis talem esse, qualis ab ipsis auctoribus fuerit exaratus, afferere audentis. Dubitat nempe I. c. Vir de auctoritate & integritate punctorum contra Capellum defensa meritissimus, ad Sanctem Pagninum accedere; qui olim in præf. Grammat. scripsit, *hebræa volumina nec in una dictione corrupta reperies*; provocat potius ad experientiam tam antiquorum temporum, quibus exemplaria corrupta, ab Esra iterum correcta & restituta fuerint, quam posteriorum, quibus *cum* inter celebres auctores, v. g. inter Judæos orientales & occidentales, inter Ben Ascher & Ben Naphthali seculi X. vel XI. Rabbinos præstantissimos, de quibus v. Consummatissimi in his literis Viri, deque iis in hac Academia, a qua nuper magno desiderio post se relicto ad Lubecenses evocatus est, meritissimi, Dn. D. Jo. Gottl. Carpzov. Criticam p. 359. *tum* inter exemplaria varia dissensiones quædam & discrepantes lectiones notatæ fuerint.

Hisce difficultatibus nova sua conjectura occurri posse vi-

sum

fum est dissentienti Cl. Viro f); qua tamen nunc non opus esse, ex supra dictis, quæ contra hypothesin ejus dicta fuerunt, patet; eoque magis ab ea abstinentiam esse videtur, quia multo plus difficultatum habere, quam quibus opposita est, pace Viri doctissimi, crediderim. Nam distinctionem theologorum inter librorum quorundam biblicorum originem divinam & auctoritatem canonicam ideo huc non commode applicaveris, quia theologi eos libros, de quibus hic sermo est, quamquam iis originem divinam adscribunt, nunquam tamen in canone fuisse adserunt, nostra autem puncta vel maxime sunt in canone; sunt enim altera pars constitutiva & essentialis canonis, quomodo ergo ad canonem non pertinere, dici possit, non video. Antecedens s. connexionem concedit Cl. Autor, α) quod sint in canone & Θεόπνευσα, nam originem divinam punctis non denegat; β) quod sint altera pars constitutiva canonis, quia alias Deus ambiguum & incertum dedit verbum, ipse non diffitetur g); Consequens, ea nempe ad canonem pertinere, quo argumento negaverit?

B 3

At

f) Scilicet quando contra Pontificios pro facri canonis integritate pugnant Theologi, illique libros scripturæ deperditos objiciunt, quidam nostratum inter librorum deperditorum originem divinam, & auctoritatem canonicam universalem distinguere solent, concedentes, fieri quidem potuisse, ut libri quidam ex peculiari Spiritus S. inspiratione conscriberentur, illorum tamen tantam non fuisse auctoritatem, ut ab omnibus ecclesiis tanquam canon fidei vitæque fuerint recipiendi; Nec proinde pari diligentia pro eorum ac cæterorum conservatione vigilare debuisse divinam providentiam. Oportune distinctio hæc mihi in mentem revocabatur, de punctorum vocalium origine & auctoritate meditanti, cum ex Jenensi Acad. in Patriam redditurus VVitebergam transirem. Statim ergo animo agitare cœpi, annon ad hanc quoque litem distinctio illa applicari posset, ut punctorum quidem subscriptorum origo (i.e. cum primum literis subscriberentur, s. quæ primo literis subiecta sunt) ad ipsum Deum dicatur referenda, ejusque sanctos amanuenses singulos; auctoritas tamen illis denegetur canonica, pro quibus itaque conservandis tanto studio vigilandum non fuerit providentiae divinæ, ne vel unicus apex periret. Sic ergo sole literæ mihi canonem facere videbantur, solisque literis perennitas promissa.

g) Originem divinam punctis denegari haud posse, credebam, quandoquidem, nisi Deus statim literas inspirans, puncta quoque scribere jussisset, ambiguum & incertum dedit verbum. Quod bonitati ejus, finique Scripturæ e diametro contrarium esse nemo non videt. Ut vero eandem illis cum literis conserret dignitatem, ut scil. plane essent inviolabilia, id quidem putabam necessarium haud fuisse, nec actu factum.

At necessarium haud fuisse ait, ut Deus eandem punctis cum literis conferret dignitatem, ut sc. plane essent inviolabilia. Resp. si, quod Cl. Autor primo loco ad probandum, haud fuisse necessarium, ut puncta essent inviolabilia, assert, in Syllogismum redigeretur, negareim & majorem & minorem. Non enim sequitur, si mutatio punctorum nihil deroget sensui, tuto aliter legi posse, atque adeo auctoritatem canonicam non habere; licet enim idem de literis subsumere, & v. g. ubique pro libitu scribere יְמֵר omisso נ primo radicali, ut est Ps. 139, 20. sic in locum סִפּוֹן Deut. 33, 21. possem substituere שִׁפּוֹן uti Deut. 33, 19. aut pro סְפָק subinde שְׁפָק conf. Job. 27, 23. c. 34, 37. aut ad modum τέλος אַכְבָּר pro אַכְבָּרה, uti habet Keri, Hag. 1, 8. ubique ה paragogicum pro arbitrio omittere vel etiam addere, aut cum matribus lectionis extrudendo vel infarciendo temere agere, quia ejusmodi mutatio nihil faciat ad sensum. Hoc autem de literis nunquam, & recte quidem, concederet Cl. Auctor, si thesin suam διαφυλάττειν velit; quo ergo jure idem in negotio de punctis pro re indifferenti & licita habebit? Neque Minorem etiam simpliciter concederem, quod nempe quædam loca, quorum aliqua Cl. Autor attulit b) mutatis punctis quoad sensum maneant eadem. Ratio negationis est, quia punctis emphasis quædam inesse potest, quam nos pro mediocri nostra, ut hodie est, linguae peritia non statim deprehendimus.

Quod si Deo, auctori punctorum, libuit, ita animare literas, ut discederet a vulgari punctorum modo, rationem discedendi habuerit necesse est. Nam vel ipsa suavitas dialecti, vel aliquatum vocalium durior sonus, vel accentus transpositio, saepe multum

b) Prius inde fiebat manifestum, i: quod mutatis etiam punctis sensus in multis locis semper maneat idem, quo integro manente, Deo perinde esse videbatur, sive hoc modo, sive aliter legeres: E. gr. hodie Genes. XXVI, 29. scriptum est חֲשַׁשְׁתָּ. Esth. III, 6. חֲנַלְתָּ Exod. XXI, 8. וְהַפְּרֹתָה. Num. XI, 15. וְלֹא Levit. XIII, 8. וְכַבֵּסָ. Quod si olim scriptum fuit, vel in posterum scribitur חֲשַׁשְׁתָּ, חֲנַלְתָּ, וְהַפְּרֹתָה, וְכַבֵּסָ, certe sensus nihil capit detrimenti, etiam si vel hodie non habeamus, vel impostorum auferantur genuina puncta. Et horum exemplorum numerus fere est infinitus.

tum ad sensum, orationis pondus, affectuum in auditore commotionem consert, cum vel lenius afficit, vel vehementius percutit ejus aures & animum. Hoc locum habere posse credidimus, cum pro fægol chirek, pro zere fægol, pro patach camez &c. ponitur. Atque sic non arbitrer, simpliciter ratione sensus idem esse, sive תְּשִׁוָּת in fine per fægol scribatur, sive per Zere &c. Atque idem dictum sit de reliquis, a Cl. Autore adductis exemplis.

Sed nec alterum argumentum i), quod ad probandam thesin, haud fuisse necessarium, ut puncta essent inviolabilia, adducitur, procedere videtur. Nam & hic neganda est consequentia Majoris, quia eodem jure etiam de quibusdam literis, immo de integris locis, quid? de totis libris scripturæ Canonicae, Ruth, Esther, Cantico, subsumi posset, quibus sublatis Scripturæ nihil decederet, quo minus finem suum obtinere posset. Consequens minime concederit, quisquis est purioris theologiæ amans. Ergo suspectum antecedens.

Hinc longe aliter, quam Eruditissimus Vir, qui diversam tueruntur sententiam, concludere l) pridem Theologi, quæcquot cum illo puncta pro Θεοπνεύσοις habuerunt & necessitatem eorum ad legendas & intelligendas S. literas agnoverunt. Si enim non opus fuit, ut Deus puncta servaret, quis mihi fidem faciet, an non hodierna puncta in pluribus locis supposita sint? Sic fæpe fluctuandum esset, sic scripturæ sacræ certitudo dubia redideretur.

Quis

ii) Punctis etiam quibusdam plane sublatis, quod de כחַב factum est, nisi quando rarissime per accidens saltem puncta subscripta cum utraque lectione conspirant, Scripturæ nihil decedit, quo minus finem suum obtinere possit. Si enim in rebus fidem moresque spectantibus, quod tam rariſſimum, puncta deficiunt, tum prius ad contextum & Grammaticam recurrentum esse censebam, tentandumque, an ex illis citra omnem ambiguitatem restitui possint. Quo denegato, reliquis Scripturæ dictis, fidei morumque doctrinam copiose tradentibus, contentos nos esse debere. Si vero in rebus historicis, Geographicis, Genealogicis &c. idem contingere, eo minus certe timendum esse periculi. Non enim historias, sed fidem docet scriptura.

iii) Nec proinde, hinc concludebam, opus fuisse, ut divina providentia puncta etiam religioso aliquo cingeret sepimento, ne vel minimum periret aut adderetur,

Quis v. g. affirmare ausit, Deut. 25, 19. זֶבַר legendum an זֶבַר Amalecitarum memoriam, an omnem masculum, sensu maximopere diverso, delendum? quis contendat, Prov. 21, 4. נִיר legendum an נִיר lucernam an arationem impiorum esse peccatum? sensu utroque commodissimo v. Buxtorf. Anti-Crit. p. 515. quis definiat, Jes. 26, 14. רְפָאִים legendum, an cuin LXX רְפָאִים, gigantibus an λατροῖς negari resurrectionem? Ita perpetuo incertus & ambiguus hæredit legentis animus, quoties in vocabulum incidit, alia puncta non respuens; nescit enim, an vocales adhuc extantes, sint illæ genuinæ a Deo inspiratæ, an non, quia a Deo illas conservari non opus erat, fraude ac negligentia immutatæ?

Quod autem ad tertium argumentum contra punctorum canonicam auctoritatem attinet, a Judæorum petitum religione & in scripturis canonicas conservandis diligentia m), qua sane prohibitos fuisse dicit, quicquam in punctis mutare, si ea credidissent canonica: Distinguo inter Judæos vulgares & Synagogæ magnæ collegas. Isti nunquam ausi fuissent, juxta illud ex Zohar: וְלֹא תִּתְהַרֵּךְ כִּי קָדוֹם סֻפְלִיס הַזֶּה צְמַח וְלֹא תִּתְהַרֵּךְ כִּי כְּכִי דַעֲלָמָה יְסִין כִּחְצָה דַקְנִילָה חֲוִיתָה מְטוּדָה דַקְנִי לִתְיַהֵן לְזֹה כִּחְצָה קְפִילָה, i. e. quod si dixeris, puncta ordinatio scribarum sunt, absit id longissime: nam etiam si omnes prophetæ mundi essent, ut Moses ipse, qui accepit legem in monte Sinai, non tamen ipsis esset potestas (proprio ausu) immutare etiam unicum punctum minimum in litera, vel literam minimam legis ap. Buxtorf. Tib. C. IX, III. de notatione accentuum. Hi de lendi & addendi auctoritatem a spiritu propheticō, quo pollebant, acceperunt, ideoque non nisi pro instrumentalí mutationis causa habendi. Quod igitur ad præcipuum disputationis momentum de pun-

m) Denique succurrebat incredibilis Judæorum in conservanda Scriptura diligentia, de quibus pervasissimus sum, quod, si canonicam punctorum auctoritatem credidissent, nunquam vel minimum delevissent. Quanquam ne sic quidem hodie omni culpa carent, sed gravissimam potius merentur indignationem, postquam כתיב genuinis suis spoliarunt punctis.

de punctis vocum obsecnarum, (nam hoc potissimum urgetur,) & eorum mutatione attinet, Deus, mens castissima, illa correctione humanæ imbecillitati succurrere & scandalum tollere voluit, quod illa vocabula, tempore primæ inspirationis adhuc honesta, successu autem temporis, ut fieri solere pluribus exemplis vel ex nostra vernacula de promis ostendi posset, turpia facta, excitare potuissent.

Atque sub finem de toto hoc negotio sic habendum: Synagogam illam magnam, auspicio Efræ Prophetæ, delevisse quidem quædam puncta, quædam substituisse, (& ita etiam cum quibusdam literis fecisse) sed ita, ut eadem correctione, utpote a viro Θεοπνέυσω, & Deo potius volente & adfidente quam invito facta, nec pro depravatione habenda sit, nec Christi asserto Matth. 5. & Luc. 6. adversetur, imo potius probetur & suffulciatur. Aliter enim si statuatur, quomodo ipsi literarum integritati, & scripturæ in universum certitudini quoad sensum consuli possit, non video. Cæterum si qua punctorum est ratio, quæ ad nostras regulas grammaticas non quadrat, sciendum, potius defectum in regula, quam errorem in textu admitti debere.

Tandem ubi ad n) dubia respondet, quæ conjecturæ suæ opponi possint; credere in, dubio primo per responsione in priorem o) non fatis fieri; α) quia, quod additur, nihil aliud est, quam probare thesin, non respondere ad objectionem; β) recte asseritur, quod literis dignitas canonica non deneganda sit. Posset autem illa ex eodem argumento contra puncta prolato denegari, quia medius terminus, nempe mutationem aliquam sine jactura sensus esse factam, utriusque ex æquo competit. Jam vero a paritate præmissarum ad paritatem conclusionis valet consequentia. Si igitur

n) Objici potest: Quod dictum est: Necessarium haud fuisse, punctis vocalibus quoque auctoritatem canonicanam concedere, quia mutatis in plurimis locis punctis, sensus tamen semper manet idem, imo plane deficientibus punctis, scripturæ nihil decadere, quo minus finem suum obtinere possit: id literas etiam in periculum adducere. Si quidem non raro eveniat, ut mutatis planeque sublatis literis, sensui nihil decadat.

o) Resp. i. Ebræarum vocum duæ sunt partes, literæ & puncta vocalia. Alterutra, si non utraque, debet esse canonica, alias nullum plane haberentius canonom. Vocales vero non possunt esse canonicae, ceu ex ante dictis liquet. Ergo literis, ut pote primariæ vocis parti hæc dignitas competit, nec illis deneganda est, nisi totum canonem evertere velis.

tur posterius est absurdum, falsum est prius: quanquam "prioris veritas adversario sexcentis argumentis aliunde ad oculum demonstrari posse videatur. Hæc enim est natura Syllogismi *eis τὸ ἀδύνατον*, ut ex propositione ab adversario concessa inferatus conclusio manifeste falsa. Quicquid nunc ad affirmandam illam conclusionem afferri potest, id omne frustraneum est, quamdiu præmissa ab adversario pro certa habetur. Sic in nostro negotio, quamdiu ab adversario afferitur, omnem, quantulamcumque mutationem, repugnare canoni, tamdiu recte contra eundem negari potest, literas, quippe mutationis omnigenæ non expertes, canonica auctoritate esse, quanquam hæc propositio in se sit falsissima; & quicquid tandem ad eam refutandam possit adduci, vim instantiæ non infringit. Nec satis fit priori dubio per alteram responsum, p) quia ex aliquali defectu ad negationem canonicae auctoritatis non valet consequentia, ut supra instantia a literis desumpta fuit offensum.

Ad objectionem II. quam moveri posse dicit, q) respondet negando. Quo autem argumento? quod enim non est autoritatis canonicae, sine magno crimine mutari poterit, quia inviolabilitas ex auctoritate canonica fluit. Quis autem unquam temerarium aliquem Criticum magni criminis postulavit, si in interpolandis Ciceronis scriptis æ quo liberius interdum versatus fuit? Suo ingenio relinquitur; si non placet, fit discessio, si nugas agit, ridetur. At inquit, licere puncta mutare, sed tum demum, cum summa urgeat necessitas? Respondeo, idem

p) Resp. 2. Necessitatem auctoritatis canonicae punctorum non negavi prius, quam certo mihi constitit, aetu illis eam non fuisse concessam, quod ex multorum defectu collegi. Tu fac idem cum literis, & manebunt illæ salvæ.

q) II. Objic. Negata punctorum vocalium auctoritate canonica, concessoque, multa hodie periisse, scripturam incertitudini & ambiguitati subjici. Siquidem (a) tum cuique liberum sit, pro libitu puncta mutare & eliminare, aliasque substituere, (b) deficientibus vocalibus non detur certus vocis sensus, vel saltem, etiam si puncta restituere conemur, semper tamen tam in his quam reliquis locis omnibus haec tenus quidem in controversiam non vocatis, dubitandum sit, an genuina habeamus puncta. Resp. 1. Sublatis ubivis punctis scripturam reddi ambiguam, non nego. Sed nego, ulli mortalium fas esse, puncta hodie in Textu existentia studio vel mutare vel delere, nisi summa urgeat necessitas. Insignis enim foret impietas, homines illo priuare subdio, siue quo certum scripturæ sensum habere nequeant,

idem esse, ac si dicatur, licere semper & ubique mutare; nemo enim tam sine ratione fecisse videri volet, quin semper gravissimas necessariæ mutationis causas adducat. Sic biblia lusus erunt. Quod autem dicitur; ideo non licere cuivis pro arbitrio mutare puncta, quia sine illis certum scripturæ sensum habere nequeamus, hoc pro nostra causa cum primis facit. Sine quo enim certum scripturæ canonicae sensum habere non possum, illud ad canonem pertinet, atqui sine punctis &c. Majorem probo, quia scriptura canonica est propter sensum, & formale ejus consistit in sensu, non in ipsis literis aut punctis, sine quibus tamen, ni sint integra, sensum capere certum & a scriptoribus sacris intentum non datur. Minor est Cl. Autoris.

Ad rationes vero, quæ afferuntur ad probandum, quod deperdita hodie puncta scripturæ certitudini non noceant, sive historica sive moralia spectemus: r) Respondeo ad illud, quanquam corruptio locorum historicorum cum dispendio salutis non conjuncta sit, potest tamen ex ea ad corruptionem plarum aliorum scripturæ locorum, quam esse factam metuendum est, inferri. Quod enim uno in loco fieri potuit, quidni & in aliis? Quod si ergo corruptio locorum historicorum &c. fini scripturæ non repugnat directe, repugnat tamen indirecte. Distingui solet alias inter ejusmodi locorum obscuritatem & corruptionem. Ad alterum respondeo, non quæri, an quibusdam locis carere, aut eorum sensum aliunde supplere possimus, sed an de integritate & certitudine scripturæ queamus esse convicti? qua in dubium adducta de unico fidei nostræ fundamento actum est. Quod autem dicitur, de veritate nostrarum vocalium alias non esse dubitandum, nisi vel literis vel contextui manifesto repugnant, alias certo credendum, illa genuina & ab ipso Deo profecta esse: regererem ad istud, hanc conditionem tam late patere, ut infinitas lites exclusu-

s) Deperdita vero hodie puncta scripturæ certitudini ejusque fini nihil nocent. Si enim res historicas &c. spectant, illis carere possumus. Si fidem moresque, tum vel adhibitis necessariis mediis restitui, vel illorum defectum alia loca supplere possunt, eundem sensum tradentia. Præterea si salva scripturæ certitudine, nostraque salute, sensu plurimorum locorum historicorum &c. quoad puncta integrorum caremus, quidni & illorum sensu carere poterimus, quæ punctis destituuntur?

ra fit. Cuicunque enim liberet locum quendam in suam sententiam contra hodiernā puncta detorquere, illi non defutura essent rationum plastra, quibus eum vel literis vel textui repugnare, ostendere conaturus esset. Sic sacris literis nil foret incertius, nil regulæ lesbiæ similius. Repeto ergo, quod caput disputationis fuit, si vel maxime quid aut punctorum aut literarum primitus inspiratarum, quo cunque casu perierit, Deum sive per Esram propheticō spiritu pollentem, sive Judæ Maccabæi & cæterorum Mizpænſium i Macc. III 46. cura ita restituisse, atque Christi effato confirmasse, ut de ejus integritate & auctoritate canonica, quoad tum literas tum vocales, dubitare aut earum quicquam mutare neutriū opus, sed religioni merito ducendum sit.

Et me quidem, Deo benignissime annuente, a Serenissimo Principe & Domino, Domino CHRISTIANO, Duce Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Angriæ & Westphaliæ, Landgravio Thuringiæ, Marchione Misniæ, utriusque Lusatia, Comite Principali Hennebergico, Comite Marchiæ, Ravensbergæ & Barbyæ, Dynasta in Ravenstein, Domino & Nutritio nostro Clementissimo, gratiosissime consentiente Reverendissimo ac Serenissimo Principe ac Domino, Domino MAVRITIO WILHELMO, Postulato Administratore Episcopatus Martisburgensis, Domino meo Clementissimo, ad sanctam linguam Studiosis in hac Alma tradendam, quam clementissime vocatum, & a Potentissimo Poloniarum Rege ac Electore Saxoniæ, Domino FRIDRICO AVGVSTO, Rege meo longe Clementissimo, confirmatum, nihil magis habebit sollicitum, quam in verendis scripturarum oraculis siue publice sive privatim enarrandis, ea religione versari, qua semper soliti fuere, quibus de sacrorum fontium puritate & integritate ita constitit, ut in iis interpolandis ingenio indulgere suo irreverentius factum judicarent. Quod munus cum ritu antiquo, futuro Martis, III Non. Aprilis die, Oratione de nimio versionum aestimio, magno proiectuum in sancta lingua impedimento, exorsurus sim, ad eam benevole audiendam Magnificum Academiæ Rectorem, Illustrissimos Comites, utriusque reipublicæ Proceres spectatissimos, nec non Nobilissimos Artium in hac Academia Cultores, qua decet, ob servantia & humanitate invito. P. P. Dom. Quasimodog.

cīc Iō c c xxi.

* (o) *

Coll. dist. A. 48, mīt. 68